

1510 rum turmæ præfecti virtus plurima extitit. Redierat Mantua per eos dies ad urbem Franciscus Capellus, retuleratque Patribus, nullam esse in imperatore rei bene gerendæ voluntatem, nullam fidem: uxoris artibus ejus animum delimitum: Alfonso illius fratri cupere omnia, neque Iulium neque rempublicam præ illo quidquam facere: fave-re etiam Gallis plurimum. Gritto ad Veronam iterum obsidemam profecto, eæ sunt tempestates consequutæ, ut recedere seque ad Suavum municipium recipere, ut equites & milites sub testis contineret, sit coactus. Demum intelligens Veronam communitiorem esse factam, Montanianum exercitum reduxit. qua re cognita jussus a Senatu est, equites quingentos, milites octingentos, ad Rhodigianos reliquaque circa Padum ejus regionis municipia tuenda & custodienda mitteret. Juliani exercitus Francisco Maria imperatore & Fabritio Columna reliquisque ducibus, qui erant Mutinæ, se non explicantibus, Paulus legatus ad oppidum Concordiam fossis atque aggeribus communitem suis copiis accedens, tormentisque eo vesperi collocatis, & verberatis prima luce muris, paucarum id horarum spatio contra spem omnium cepit: tanta tamque præsens militum virtus fuit. Propugnatores, qui ab oppugnatione superfuerant, in arcem repulsi, sine mora se legato dediderunt. Atque ante eos dies in urbe puer e plebe natus est cum duobus capitibus, quatuorque humeris & manibus, tum sœmoribus atque pedibus quatuor, ut duo esse pueri una conglutinati viderentur, si corpus reliquum duplex habuisset. habebat autem unum tantum cum renibus unis tergoreque reliquo pectus: vixitque sesquihoram, ut christianaæ aquæ ablutione non caruerit. Et Nicolao Trivisano templi Marcii procuratore mortuo, Antonius Grimanus, quem civitas ab exilio revocaverat, magno omnium ordinum favore in ejus locum suffectus est. atque illa quidem in procuratione eo erat tempore Antonius, cum est exul factus. itaque bis eam dignitatem est adeptus, quod nemini antea contigerat. annisque cum iis fere comitiis finem habuit.

*Concordia a
Venetiis
occupatur.*

*Antonius
Grimanus
Procurato-
ria digni-
tati reflo-
ravit
VIII. kal.
januar.*